

Ad primum meum Tomum quod attinet, in quo de ijs multifariam, trahatur, illum C. T. Deo iuuante, quamprimum fieri potest, visura est.

Scripsi insuper C. T. Mathematico de octodecim illis Minutis, quæ in Observationibus Cometæ Anni 1580. mihi communicatis, vbiq; desiderantur. Nam quoties Cometa iste per Meridianum transiuit, inueni præcisè 18. Minuta Cassellis iusto minus obseruata esse, cùm meæ Observations eodem tempore factæ, semper totidem Minuta plus habeant. Vnde coniicio, talem defectum ob Quadrantem, vicio perpendiculari in tot scrupulis non rite directi, commissum esse. Quâ etiam de re cum ROTHMANNO, dum hîc esset, contuli, illudq; per collationem vestrarum atq; mearum Observationum demonstravi, ita ut hinc admiratione non modicâ tenererur, nec certâ aliquam causam eius reddere potuerit. Addixit autem se, quamprimum ad C. T. Cassellas reuersus fuisset, hæc ulterius inquisiturum, nam cum Cometa iste obseruatur, in C. T. ministerium se nondum tradiderat. Quòd si igitur per Automatopæum, aut alium aliquē, defectus hic commissas sit, scire libenter cuperem, quâ de causâ is euenerit, idq; priusquam Observations in descriptione huius Cometæ ad usum deducam. Quod autem in meis Observationibus meridianis, circa eundem factis nullus error subsit, confirmant satis Clarissimi viri THADDÆI HAGACI tunc quoq; Pragæ sumtæ Altitudines, quæ cum meis, habitâ saltem ratione diversitatis Horizontum, quam proximè consentiunt.

Verum C. T. istis & alijs eiusmodi diutiis grauare aut detinere nolo, sed eam (expectatâ per præsentē, cùm à Nundinis ad C. T. redierit, clementi responsione) nunc & perpetuò DEI Omnipotentis clementissimæ tutelæ in diuturnam corporis in columitatem ac tranquillam Gubernationem ex anno commendatam habeo. Data Vraniburgi, 20. Februarij, Anno 1592.

Celsit. T. Addictiss.

TYCNE BRAHE.

### POSTSCRIPTA.

Porrò C. T. officiosè indicandum habui, me C. T. Generoso & Illustri filio Landgrauio MAURITIO scripsisse, ac C. E. demissè rogasse, ne grauatur in Operum meorum Astronomicorum commendationem Carmen aliquod ludere; ex quo satis iam dudum intellexerim C. E. eximiâ præditam esse venâ Poëticâ, talibusq; ingenij à grauioribus studijs recreationibus delectari. Confidam idcirco C. E. dignaturam eiusmodi Carmen ab alterâ parte primæ paginæ (vbi Titulus meorum Tomorum, quos iam operâ Typographicâ expedire præmanibus habeo, vñâ cum Diplomate Cæsareo expressus est, cuius C. T. tria exemplaria transmisisti) propriâ manu adscribere. Id gratissimum mihi erit, ac C. E. prout existimo, haud inglorium, faciatq; insuper ad decus & promotionem harum artium. Data ut supra in literis.

LL 2

CLAS.